



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

348. An Episcopi, vel Monialium Superiores possint altra tertiam vicem
concedere Monialibus subditis Confessarium extraordinarium? Et an
Superiores Regularium non possit suis Monialibus deputare ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

sibus necessitatis concedere valent, & debent Generales, Provinciales, & Prælati Conuentuum in Monasteriis, quæ Regularibus subiecta sunt.

3. Probatur secundò hæc opinio ex verbis Concilij Tridentini, *sess. 25. c. 5.* requiruntis disunctuè, Episcopi, vel Superioris licentiam, ibi, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta; Et infra, dare autem Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis, non quasi vellet Episcopum, vel Regularem Prælatum in quolibet Monasterio potestate gaudere concedendi has licentias, sed Episcopum in Monasteria sibi, vel Sedi Apostolicæ subiecta, Regularem verò Prælatum in Monasterium suæ iurisdictionis. Alioquin eodem modo dici posset, Regularem Prælati licentiam sufficere in Monasterio, Episcopi, quia etiam ibi posset applicari disunctiua lectio. Sicut ergo ibi nihil potest Prælatum, quia non est ibi Superior, &c. debet intelligi respectiue; ita Episcopus ex vi Concilij nihil potest in hac parte circa illa Monasteria sibi non subiecta, quia disunctiua illa debet intelligi cum partitione accomoda, alias posset Episcopus concedere hanc licentiam, renuente Prælato Religionis, quod est contra debitum ordinem, supposita exemptione, quam Concilium in hac parte tollere noluit, nam id eod addidit illam particulam, vel Superioris. Per quam etiam significauit, non esse factis esse Episcopum nisi sit Superior Monasterij ad hanc licentiam dandam, è contrario verò, Superiorem sufficere, vt declaratum est. Confirmatur, nam concilij mentem declarauit apertissime Pius in sua Constitutione; Et si Mendicantium Ordines, anno 1567. 17. Kalend. Iunias Pontif. ann. 2. Cùmque, inquit §. 7. inhonestum sit, quemlibet in alienam messem falcem inicere, cùmque Monialium Monasteria, non nisi de Episcopi, vel Superioris licentia, & in casibus necessariis aliquis ingredi præsumat *in sess. 25. cap. 5.* prohibetur; hoc tantum in illis Monasteriis locum habere volumus, quæ Ordinariis ipsi pleno iure sub sunt; in quibus casibus necessariis ipsi dare licentiam possunt, non tamen in aliis Monasteriis, Pergit deinde prohibere Episcopis omnem omnino superioritatem, & iurisdictionem in eiusmodi Monasteria, eorumque Moniales. Quæ verba ad eam clauam sunt, vt nullo indigeant interprete: quare mirum non est si deinde Sacra Congregatio Cardinalium Tridentini Interpretum ita definiat, vt infra videbimus. Vnde hæc sententiam ex Suarez, Sanchez, & Nauarro, Barbosa, Bonacina, Azorio, Llamas, Rodriguez, Peguino, & aliis docet Tamburinus *de iure Abbatissiarum disput. 2. quest. 1. numer. 4.* quibus ego addam plures alios, & in primis agmen ducant duo viri doctissimi, & amicissimi Reuerendissimi Candidus Magister Sacri Palatii *tom. 2. disp. 5. art. 3. dist. 1.* & Pater Lezana *in Summa, tom. 3. verb. clausura n. 24.* Idem docet Gibalinus de *Clausura Sanctimonialium, disput. 1. capit. 4. §. 3. numer. 6.* Pellizzarius de *Monialibus, cap. 5. sect. 3. quest. 32. numer. 146.* Antonellus *tract. de Regim. Eccles. Episc. tom. 2. lib. 7. cap. 5. num. 10.* Ventriglia *in praxi, titul. de clausura Monialium, annot. §. 2. n. 17.* Campanili *in diuers. iur. can. Rubr. 12. cap. 16. numer. 31.* Eligius Balleus in *Floribus Theolog. ver. clausura n. 9.* Hieronymus Rodriguez, *in Compred. resol. 26. num. 8.* Villalobos *in Summa tom. 2. tract. 35. difficult. 46. n. 3.* Castrus Palau *io. 3. tr. 16. disp. 4. n. 10. §. 1. n. 1.* Et ita supradicti Doctores testantur declarasse Sacram Congregationem sub his verbis: Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, licentias ingrediendi intra septa Monialium ex vera tantum necessitate concedendas, quoad Monasteria Regularibus subiecta, pertinere tantum ad ipsos Superiores Regulares. Et ego testor, hanc declarationem typis impressam vidisse Romæ in Ty-

pographia Camerali sub anno 1610. & dicitur emanasse a Sacra Congregatione Episcoporum sub die 29. Iunii 1596. vt patet apud Bellarminum *in sess. 25. c. 5. Concil. Trident.*

4. His tamen non obstantibus, dicendum videtur, licentiam ingrediendi Monasteria Monialium Regularibus subiectarum, dandam esse ab Episcopo, & a Superiore Monasterij, & ita tradit nouissime Pax Iordanus *in var. Elucubr. tom. 2. libr. 7. titu. 12. num. 43.* & Gauantus *verb. Monialium clausura, in addit. n. 1.* Hæc alia declaratione eiusdem Congregationis Cardinalium sub die 13. Nouembris 1610. facta verbo cum Sanctissimo, tenoris sequentis, sacra Congregatio facultate sibi a Sanctissimo attributa; statuit & decreuit, vt deinceps intra huiusmodi septa nemo ingredi audeat, nisi licentiæ in casibus necessariis concedendæ, nedum à Superioribus Regularibus dictorum Monasteriorum, sed etiam à locorum Ordinariis obtentæ fuerint, non obstantibus quibuscumque contrariis legibus, statutis, consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

5. Quid ego sentiam dicam breuiter. Prima declaratio Sacre Congregationis videtur mihi magis conformis verbis Concilij, & Bullæ Pij V. ac validissimis rationibus; & communi calculo Doctorum firmata. Verùm quia secunda declaratio emanauit ex facultate Pontificis, non audeo ab illa discedere, licet Regulares asserant, vltimam hanc declarationem non fuisse vlu receptam: Sed hæc responsio Romæ non admittitur per ea, quæ alibi adnotauimus. Nota verò, quod dicta vltima declaratio de 1610. non comprehendit Superiores Regulares, quia tantum loquitur de Confessariis, seu aliis Ministris; & id eod isti in casibus necessariis ingrediuntur intra septa Monasterij, ex officio, & auctoritate propria, sine vlla Episcoporum licentia, & ita hic Romæ practicatur, vt testati sunt mihi Patres Dominicani, & de Obseruatiâ. Et hoc latè probauit suis diebus in quodam Responso noster doctus, & amicissimus Pater Verricelli.

R E S O L. CCCXLVIII.

An Episcopi, vel Monialium Superiores possint vltra licentiam vicem concedere Monialibus subditis Confessariis extraordinariis?

Et an Superiores Regularium non possint suis Monialibus deputare Confessarios ordinarios, nisi prius sint ab Episcopo approbati?

Sed difficultas est, an tempore Iubilæi Moniales possint sine licentia Episcopi, vel Superioris Regularis confiteri cum quocumque Sacerdote approbato?

Et an Episcopus possit dare Confessorè Monialibus subiectis Regularibus, quæ nullaratione induci possunt, vt suis Regularibus peccata confiteantur?

Et aliquæ Declarationes Congregationis Concilij adducuntur pro aliis diuersis casibus & Confessariis Monialium, Ex p. 6. tr. 8. Milc. 3. Ref. 28.

§. 1. **D**E hoc casu olim interrogatus fui, & negatiue videtur respondendum ex Gauantò *in Manuali Episc. verb. Monialium cura spiritualis*, vbi refert decem Confessarios extraordinarios non esse assignandos pro particulari Moniali, sed in communi, & Leo Zambellus *in Repertorio Morali, verb. Monialis, num. 21.* sic ait. Non potest Prælatum assignare particulari Moniali particularem Confessarium extraordinarium, quia omnes debent stare communi. Sed his non obstantibus affirmatiue sententiæ adheret nouissime Franciscus Bordonus in *Consilijs Regularium ref. §. 9. 1. n. 1.* quia in Decreto Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 1.* nulla continetur prohibitio, sed tantum præceptio

præceptio per quam Superiores Monialibus etiam non petentibus Confessarium extraordinarium offerre tenentur bis aut ter in anno. Ergo illum possunt offerre ultra tertiam vicem. Adde quod prohibitum non censetur, quod non reperitur expresse tale; imò concessum censetur quod non est expresse prohibitum. Et tale Decretum fuit editum favore Monialium, ut ne interdum formidantes Confessario ordinario confiteri, sacrilegas confessiones efficeret, & ideo cum sit favorabile, extendendum erit ultra tertiam vicem. Multas alias rationes pro sua firmanda sententia adducit Bordonus *vbi supra*, qui respondet ad auctoritatem Gauanti; nempe illam declarationem esse intelligendam de designatione plurali, hoc est accedendi pluries ad eundem Confessarium extraordinarium distinctis vicibus.

Sup. hoc sup. in Ref. 345. & 346. & pro parte in Ref. 1. huius annot. §. 2. post mediū, verū vbi notandi & in Ref. 2. §. Verum tamen. Et Resolutio citata ad lin. 4. huius §. d. difficultas, inuenitur in tom. 4. ut. 4. Ref. 10. & ibi etiam in Refol. 11.

2. Et notat post Constitutionem Greg. XV. *Inseruabili*, & c. *Data die 5. Februarij 1622* Superiores Regulares suis Monialibus non amplius deputare Confessarios Ordinarios, siue extraordinarios nisi prius sint ab Episcopo approbati.

3. Sed difficultas est, an tempore Iubilæi Moniales possint sine licentia Episcopi vel Superioris Regularis confiteri cum quocumque Sacerdote approbato. Faustus, & Alphonsus de Leone quos in 3. part. 4. ref. 154 adduxi mordicus negat. Verum me citato aduersus illos nouissime insurgit Franciscus Bordon. *vbi supra*, in *Consilijs Regularium* ref. 34. num. 53 vbi docet posse Moniales valde eligere sibi Confessarium, qui proinde eas absoluat iuxta præscriptum Iubilæi neque ad hoc indigere licentia aut speciali approbatione Episcopi pro audiendis Monialibus. Tum quia non sunt deterioris conditionis reliquis fidelibus & illis hoc priuilegium æquè communicatur, & prorsus eodem modo, ac cæteris fidelibus. Tum quia viri Religiosi non egent huiusmodi licentia, ex probatis §. *Primum*, ergo neque Moniales. Tum quia in iis quæ à iure, seu à iuris legislatore conceduntur, non requiritur Episcopi licentia, inquit Graff. tom. 1. ref. 8. de voto, n. 6. per c. *dua* 19. q. 2. Tum quia sine licentia adfunt omnia requisita, nempe approbatio Episcopi, & iurisdicção à Papa ex vi electionis delegata. Tum denum, quia ratio dubitandi non habet locum hic, sed solum pro Confessionibus ordinariis, vel extraordinariis, iuxta c. 10. *sess.* 25. vbi fermo est de Confessariis ordinariis, & extraordinariis, qui bis, aut ter in anno illis offeruntur, quæ non possunt cadere in electionem Confessarii tempore Iubilæi; vnde in Constitutione Greg. XV. & in Concilio fit mentio de Confessariis deputandis, non autem de electione eorum, quod est diuersum, nam deputatio respicit Superiores, electio ipsas Moniales, ergo cum ex diuersis non fiat illatio, secundum vulgata iura, firmum sit, quod possint eligere Confessarium tempore Iubilæi, & absolui independentè à suis Prælatiis supradictis.

Et quia in hac resolutione incidit fermo de Confessariis Monialium, non desinam hic apponere aliquas Declarationes Congregationis Concilij, factæ verbo cum Sanctissimo editas anno 1623, tenoris sequentis.

Confessores extraordinarios Monialium nullatenus posse post Constitutionem illarum confessiones audire, nisi prius ab Episcopo Diocesano idonei iudicentur, & approbentur ordinarios verò Confessores ante constitutionis publicationem deputatos posse durante triennio ab eorum deputatione inchoado pergere in Confessionibus Sanctimonialium audiendis, absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quod si contingat, ut eorum facultas à Sede Apostolica triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari.

Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius constitutionis deputationem, quibus aliquando facultas com-

petebat audiendi Confessiones Monialium sibi subiectarum, posse durante eorum officio pergere sine alia Episcopi approbatione in Confessionibus audiendis illarum, tamen que sponte, ac proprio motu id ab eis petuntur, aut vero eos, qui post constitutionem eliguntur, aut quocumque modo deputantur, vel qui in eorum Officiis, seu dignitatibus, expleto iam tempore à constitutionibus cuiusque Ordinis vel alias legitime presinto, ad illud tenentur confirmantur, nequaquam posse Sanctimonialium Confessiones audire, nisi prius à Diocesano Episcopo idonei iudicari, atque approbati fuerint.

Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum secularium nequaquam ceteri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere quo ad hoc speciali Episcopi approbatione.

Regulam ad audiendas Confessiones Monialium in vniuersis Monasterijs ab Episcopo approbatum minime posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterij, approbato ab Episcopo ad Monialium Confessiones una vice audiendas haud posse pluries in vno approbationis eiusmodi illarum Confessiones audire, sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputati conigerit.

Episcopum cui licet ex rationabili causa iuxta dictam constitutionem Superiores Regulares admittere, ut emittant Confessores Monialium, atque administratores bonorum ad eorumdè Monialium Monasteria pertinentia usque Superioribus id facere directantibus, hebetque facultate prædictos Confessores, & administratores emittendi quoties, & quando opus esse iudicauerit, non tenentur eiusmodi causam significare Superioribus Regularibus, sed hoc relinquere arbitrio, & prudentia Episcoporum, quorum conscientiam Sacra Congregatio serio onerant.

4. Huculque declarationes Sacra Congregatio, quas inuenies apud Riccium tom. 4. *decis.* 244. & apud Barbofam in Concilio Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 10. vbi num. 5. obseruat fuisse decisum posse Episcopum dare Confessorem Monialibus subiectis Regularibus, quæ nulla ratione induci possunt, ut suis Regularibus peccata confiteantur, quod etiam testatur Campanilli in diuersis iuris Canon rubr. 12. *cap.* 16. n. 5.

RESOL. CCCXLIX.

Quædam Monialis infirma obtinuit licentiam confiteri cum quodam Confessario Regulari, dubitatum fuit tunc, an potuisset ingredi cum socio, & si finita confessione an statim debeat egredi?

Difficilis vero est, quænam moradicatur breuis, et qui in tali casu intra Monasterium immorando non dicatur peccare contra Clausuram? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 51.

§. 1. Licet superior illius Religiosi noluit, ut cum socio ingrederetur, tamen ego tunc probabilem liter censui potuisse cum socio ingredi, quia decerni postulat, ut Religiosi numquam soli incedant, & ita docet Sanchez in *sum. tom.* 2. *lib.* 6. c. 16. n. 46. & innuit Miranda de *Monialibus*, q. 2. art. 17. *sub fine*, & hoc licet in licentia Vicarij Generalis non adest mentio de socio, sufficit enim ad hoc licentia explicita ipsi Sacerdoti concessa; nam hæc etiam ad socium extenditur. Scio contrarium sententiam docere Bonacinam *tr. de clausura*, q. 4. *punct.* 4. n. 4. Quia ait ille, non dedecet Confessarium claustra Monasterij ingredi, socio ad tantum remanente, sicut non dedecet Religiosum in vno cubiculo negotium cum Principe agere, socio illum ad Palatij ianuam expectante. Sed ego puto esse disparatam rationem inter vtrumque casum, ut omnibus patet, non nego tamen opinionem Bonacinæ probabilem esse.